

Quantae sint Roscio illatae iniuriae, multis cum verbis exponit, quae huc redeunt: patre occiso, fortunis patriis eversus, domo expulsus est inops. At quisnam Roscium patrem occidit? Num patrem filius?

- 37 Occīdisse patrem Sextus Rōscius arguitur. Scelestum, deī immortalēs, ac nefārium facinus atque eius modī, quō ūnō maleficiō scelera omnia complexa esse videantur ! Etenim sī – id, quod praeclārē ā sapientibus dīcitur – vultū saepe laeditur pietās, quod supplicium satis ācre reperiētur in eum, quī mortem obtulerit parentī, prō quō morī ipsum, sī rēs postulāret,
- 38 iūra divīna atque hūmāna cōgēbant. In hōc tantō, tam atrōcī, tam singulārī maleficiō, quod ita rārō exstitit, ut, sī quandō audītum sit, portentī ac prōdigīi simile numerētur, quibus tandem tū, Gāi Erucī, argūmentīs accūsātōrem cēnsēs ūtī oportere ? Nōne et audāciam eius, quī in crīmen vocētur, singulārem ostendere et mōrēs ferōs immānemque nātūram et vītā vitiīs flāgitīisque omnibus dēditam, dēnique omnia ad perniciem prōflīgāta atque perditā ? Quōrum tū nihil in Sextum Rōscium nē obiciendī quidem causā contulistī.
- XIV 39 Patrem occīdit Sextus Rōscius. Quī homō ? Adulēscentulus corruptus et ab hominibus nēquam inductus ? Annōs nātus māior quadrāgintā. Vetus videlicet sīcārius, homō audax et saepe in caede versātus ? At hoc ab accūsātōre nē dīcī quidem audīstis. Luxuriēs igitur hominem nīmīrum et aeris aliēnī magnitudō et indomitae animī cupiditatēs ad hoc scelus impulērunt ? Dē luxuriā pūrgāvit Erucius, cum dīxit hunc nē in convīviō quidem ūllō ferē interfuisse. Nihil autem umquam dēbuit. Cupiditatēs porrō, quae possunt esse in eō, quī, ut ipse accūsātor obiēcit, rūrī semper habitārit, et in agrō colendō vīxerit ? Quae vīta māximē disiūncta ā cupiditate et cum officiō coniūncta est.
- 40 Quae rēs igitur tantum istum furōrem Sextō Rōsciō obiēcit ? ‘Patrī’, inquit, ‘nōn placēbat.’ Patrī nōn placēbat ? Quam ob causam ? Necessē est enim eam quoque iūstam et magnam et perspicuam fuisse. Nam ut illud incredibile est, mortem oblātā esse patrī ā filiō sine plūrimīs et māximīs causīs, sīc hoc vērī simile nōn est odiō fuisse parentī filium sine causīs
- 41 multīs et magnīs et necessariīs. Rūrsus igitur eōdem revertāmur et quaerāmus, quae tanta vitia fuerint in ūnicō filiō, quārē is patrī displiceret. At perspicuum est nūllum fuisse. Pater igitur amēns, quī odisset eum sine causā, quem prōcreārat ? At is quidem fuit omnium cōnstantissimus. Ergō illud iam perspicuum profectō est, sī neque amēns pater neque perditus filius fuerit, neque odiī causam patrī neque sceleris filiō fuisse.
- XV 42 ‘Nesciō’, inquit, ‘quae causa odiī fuerit ; fuisse odium intellegō, quia antea, cum duōs filiōs habēret, illum alterum, quī mortuus est, sēcum omnī tempore volēbat esse, hunc in praedia rūstica relēgārat.’ Quod Eruciō accidēbat in malā nūgātōriāque accūsātiōne, idem mihi ūsū venit in causā optimā : ille, quō modō crīmen commentīcium cōnfirmāret, nōn inveniēbat, ego, rēs tam levēs quā ratiōne infirmem ac dīluam, reperire nōn possum.

- 43 Quid ais, Erucī ? Tot praedia tam pulchra, tam frūctuōsa Sextus Rōscius
fīliō suō relēgātiōnis ac supplicīi grātiā colenda ac tuenda trādiderat ?
Quid ? Hoc patrēs familiae, quī liberōs habent, praesertim hominēs illius
ōrdinis ex mūnicipiīs rūsticānīs, nōne optātissimum sibi putant esse fīliōs
suōs reī familiārī māximē servīre et in praediīs colendīs operae plūrimum
studiūque cōsūmere ? An āmandārat hunc sīc, ut esset in agrō, ac
- 44 tantummodo alerētur ad vīllam, ut commodīs omnibus careret ? Quid ? Sī
cōnstat hunc nōn modo colendīs praediīs praefuisse, sed certīs fundīs, patre
vīvō, fruī solitum esse, tamenne haec ā tē vīta eius rūsticāna relēgātiō atque
āmandātiō appellābitur ? Vidēs, Erucī, quantum distet argūmentātiō tua ab
rē ipsā atque ā vērītate : quod cōnsuētūdine patrēs faciunt, id quasi novum
reprehendis ; quod benivolentiā fit, id odiō factum crīmināris ; quod honōris
causā pater fīliō suō concessit, id eum supplicīi causā fēcisse dīcis.